



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Explicantur aliqua dubia circa superiorum doctrinam. punct. 3

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)

riti coniugati: sic post alios antiquiores Tiraq. post leges con-
nubiales, glossa 2. n. 54. Avile: in capitib. praeorum procmio,
glossa 1. n. 18. Anton. Cucus 1. 3. insit. maiorat. tit. 9. n. 20. & alij
relati à Sanch. lib. 7. de matr. disp. 47. n. 2. Probatur primò. Quia
privilegium domino concessum omnibus qui sunt de familia
conceditur. c. in de officio Archidiacon. At vxor est de viri familia
1. mulieres. C. de dignitat. lib. 12. Et l. fin. ff. ad municipalem.
Secundò vxor foris debet forum viri, ex l. cum quidam
quella ff. de iurisd. om. iud. Tertio, exemptio à tributis data
Clericis eorum vxoribus communicatur ex l. 2. Cod. de Episco-
pis & Clericis. Tandem in quavis dispositione stricta quæ con-
ceduntur viro, vxori censetur concessa iuxta doctrinam glossa
in c. ad monere, verbo partem 33. q. 2. Verum hoc argumentum lo-
lum conuenit privilegium concessum domino omnibus ex
eius familia competere, quando ratio concedendi privilegium
aliis præter primum privilegium potest conuenire. At cum
hoc privilegium in reuerentiam clericalis ordinis concessum sit,
nemini præter ordinarios potest hæc reuerentia conuenire: eaque
de causa hoc privilegium personale est, non reale, neque aliis
ab ordinatis competit. Solum de exemptione à tributis est spe-
cialis dispositio, vt vxoribus clericis competit. Sed hoc est spe-
ciale iure antiquo, non ex nouo. Bonifac. v. III. de clericis con-
iugatis in 6. & Trid. sess. 23. c. 6. de reformat. vbi clericis con-
iugatis solum fori privilegium gaudere conceditur in criminali-
bus, vt dicemus. Affirmandum ergo est hoc privilegium fori
Clericis concessum, nequaquam ad eorum vxores extendi: sic
aliis relatis Sanch. lib. 7. de matr. disp. 47. n. 3.

Ex quo fit, si Clericus ad sacros ordines ascendat, vxore in
seculo manente, nullo modo vxorem privilegio clericali gau-
dere, quia dissolutum est thorum, & mutua cohabitatio, quæ
poterat esse occasio fruendi privilegio viri: sic Sanch. num. 7.
cum Alexand. de Neuo cap. 2. de foro competenti, num. 22. Secun-
dò, fit à fortiori viduam vxorem nullo modo privilegio vi-
ri gaudere, tametsi diceremus viuentem viro privilegio viri ei
communicari: quia solum communicatur ei in consequen-
tiam viri privilegia. Ergo cessante privilegio principali, cessa-
re debet accessorium: & sic tradit cum glossa loquente de filijs
l. 3. C. de Episcopo & Clericis & ibi Baldo num. 5. & Alexand. de
Neuo supra Sanch. disp. 47. n. 4.

PUNCTUM III.

Explicantur aliqua dubia circa superiorem
doctrinam,

- 1 Clericus in minoribus constitutus si habitum dimittat, potest
illum reassumere, vt privilegio gaudeat, tametsi plures
contrarium sentiant.
- 2 Si tempore quo habitum dimisit delictum committat, & postea
habitum reassumat, negant plures gaudere. Probabilius
est oppositum.
- 3 Si tempore, quo habitus est dimissus, capiatur à iudice, non
gaudet privilegio.
- 4 Quando censetur fraus commissa in assumptione habitus cle-
ricalis.
- 5 Clericus negotiatores probabile est privilegio fori priuari, oppo-
situm probabilius.
- 6 Quid dicendum de clericis arma gestantibus.

Primò dubitatur, an Clericus in minoribus constitutus,
sive solutus, sive coniugatus, si dimittat habitum clerica-
lem, possit iterum illum reassumere, vt fori privilegio gau-
deat: Negant Afflicti. lib. 1. consuet. Rub. 3. num. 22. Auendan.
de exequendis mandatis. Regum, lib. 1. cap. 22. num. 15. & con-
sentunt communiter Doctores Paduæ, vt testatur Ioann. Andr.
cap. Ioannes de clericis coniugatis, quæst. 4. num. 19. & ibi An-
thartan. num. 10. quæst. 4. Ratio esse potest: quia illa dimissio
habitum est quædam privilegij renuntiatio, sed quoties quis
privilegio renuntiavit, si renuntio illa acceptatur à superio-
re, privilegium amittit, ad illudque redire non potest. Ergo
si hæc renuntiatio iam non est locus penitentiae; quia illa
renuntiatio à superiore acceptatur; si quidem statim Clericum
priuat privilegio clericali, & in hoc sensu est vera regula illa,
Quod semel plura, amplius displicere non potest, & facit c. vt
quis duas, de electione in 6. cap. unico de Posulat. pralatorum
in 6. redeundi ad aliam Ecclesiam postquam vnã elegerit sibi
licentia penitus interdicta.

Ceterum, tenendum omnino est privilegio gaudere reas-
sumpto habitu, sic post alios antiquiores, quos referunt, doc-
cent Couarr. pract. quæst. cap. 31. num. 8. vers. 5. Petr. Barbos.
l. fin. 35. num. 33. ff. soluto matrim. Iulius Clarus lib. 5. pract.
l. fin. quæst. 36. num. 15. Thom. Sanch. lib. 7. de matr. disp. 45.
num. 29. Suar. lib. 4. de immunit. cap. 27. n. 18. Ratio est, quia
ex duplici capite provenire potest, quòd Clericus dimittens ha-
bitum clericalem, illo reassumpto non gaudeat privilegio fori.
Primò, quia illud renuntiavit per dimissionem habitus, illa
renuntiatio acceptata fuit. Secundò, quia in perpetuum ob-

illam habitus dimissionem illo privilegio priuatur, sed ex nullo
horum capitum inferitur hæc inhabilitas perpetua. Non ex ren-
unciatio: quia privilegium clericali statui competens nemini
licet renunciare cap. si diligenti de foro competenti, & fuit deci-
sum à sacra congregatione 11. Junij, 1587. prout referunt Suar.
sup. 3. & Aug. Barbos. in remissionibus Concilij, sess. 23. cap. 6. de
reformat. his verbis. Quidam Clericus charactere insignitus be-
neficium Ecclesiasticum obtinuit, cui postea animo vxorem du-
cendi una cum clericatu renuntiavit. Deinde non sequens ma-
trimonio clericalem habitum reassumpsit, & aliud beneficium
exigui redditus adeptus est dubitatur, an gaudeat privilegio fori.
Congregatio censuit gaudere, quia privilegio clericali renun-
ciari non potest. Ergo ex renuntiatione nequaquam potest inhabi-
litas reddi ad privilegium antea habitum. Ex secundo, autem ca-
pite nullo modo inhabilis redditur. Tum quia illa non est priua-
tio penalitatis, quæ supponat delictum, cum iuramentum fuerit hoc Cle-
rico habitum dimittere, sed solum est priuatio legalis ob non
seruatam conditionem. Cum ergo illa conditio perpetua non sit,
sed semel assumpta, dimitti potest, & iterum reassumi, efficiunt
priuationem privilegij cum illa coherere, quod non leuiter indica-
cat Clem. l. de vita, & honest. clericorum, iuxta glossam ibi ver-
bo quamdiu, ibi Privilegium clericale quamdiu præmissis insti-
terint, eo ipso amittant: Est ergo amissio privilegij non absoluta,
sed quasi conditionalis, dum conditiones ad illud habendam
non seruantur: facitque textus in c. clericus, & 2. de vita, & ho-
nest. clericorum, vbi Clericus qui vxorem duxit dimissa tonsura
præcipitur, vt iterum tondeatur, si velit, inquam, privilegio gau-
dere, vt explicat Abbas ibi n. 4.

Neque obstant contraria adducta; quia hic Clericus dimittens
habitum non perdit privilegium, quia illud renuntiaverit,
sed quia non seruat conditionem ad privilegium requisitam,
lex autem constituit amissionem huius privilegij perpetuam, sed
solum pro tempore non seruatæ conditionis; quia neque in
Concilio Trident. sess. 23. cap. 6. neque in cap. unico de clericis
coniugatis in 6. sunt aliqua verba taliter indicantia; in d. potius
indican contrarium. Si quidem dicitur Clericum in minoribus
constitutum, gaudere nolumus privilegio clericali, nisi habi-
tum, &c. quasi diceret, quicumque in minoribus constitutus,
qui habitum, & tonsuram deserat, &c. gaudere volumus privi-
legio clericali. At qui semel habitum, & tonsuram dimisit, po-
test postea illud deferre. Ergo potest privilegio gaudere. Adde,
illa limitatio nisi habitum, &c. est restrictiva iuris communis,
Ergo solum intelligi debet restringere ius commune quamdiu
est, & non alio tempore.

Hinc optimè inferit Sanch. aliis relatis lib. 7. disp. 46. num. 30.
Clericum ducentem vnã vxorem, eamque virginem, conse-
qui, ea mortua, omnia privilegia clericalia, quæ solutis Clericis
conceduntur, si eas condiciones præstet, quas alij Clerici soluri
ad gaudendum privilegio seruare tenentur. Quia non fuit illis
privilegiis ob matrimonium in perpetuum priuatus, sed solum
fuerant ei suspensa durante matrimonio.

2. Secundò, & difficultus dubitatur, an Clerici minorum ordi-
num habitum clericalem longo tempore non deserentes ob
cuius causam censentur privilegio esse priuati, si tunc aliquod de-
lictum committant, & illo commisso habitum reassumant, privi-
legio gaudeant in illo delicto: Et ratio difficultatis est, quia tunc
illa delicta commissa sunt ab homine laico. Ergo videntur de iurisdic-
tione laicali esse. Ergo ob nouam habitus reassumptionem
iurisdictioni Ecclesiasticæ non possunt conuenire. Item quia ad
gaudendum fori privilegio semper tempus delicti videtur spe-
ctandum, argum. l. 1. ff. de penis, vt multis relatis docere videtur
Thom. Sanch. lib. 7. de matr. disp. 46. n. 10. iuncte n. 4. Ceterum,
verissimum est privilegio gaudere; sic tradunt à nos referentes
Suar. tom. de defens. fidei, lib. 4. de immunit. Ecclesiast. c. 15. n. 16.
& c. 27. n. 18. Couarr. cap. 31. n. 7. August. Barbos. alleg. 12. n. 28.
Farinac. q. 8. n. 66. Carol. de Grassis de effectibus cleric. effect. 1.
n. 81. & decisum refert à sacra congregatione Barbosa in re-
mission. Concilij, decreto 6. sect. 23. de reformat. his verbis.
Censuit Congregatio Clericum coniugatum, qui post dimissum
habitum, & tonsuram clericalem pro delicto aliquo in curia
laicali est citatus, & ob contumaciam condemnatus fuerit: Si
deinde reassumpto habitu, & tonsura (modo non in fraudem)
Ecclesie inseruiat iuxta hoc decretum non posse à iudice laico
propter hoc delictum in carcerem conici, aut personaliter ad-
stringi, facit cap. si iudex laicus de sentent. excom. in 6. Ra-
tio est, quia quia clericis minoribus privilegium conceditur, dimi-
modo beneficium Ecclesiasticum habeant, aut habitum, & ton-
suram deserant, &c. Ergo quamdiu illud habent, privilegio gau-
dent iuxta textum in Clem. l. de vita, & honest. cleric. glossa
verbo quamdiu. Neque enim dictum privilegium limitatur iuxta
ad delicta commissa tempore clericatus, non ergo limitandum
est. Et confirmo ex l. hos accusare, ff. de accusator. vbi dicitur
accusandum non esse legatum provincie de criminis commissio
ante legationem. Ergo nec Clericus coram tribunalibus seculari de
crimine ante clericatum commissio. Ad rationem dubitanti re-
pondeo delicta commissa tempore quo habitum clericalem di-
misisit iurisdictionis esse secularis; at reassumpto habitu Eccle-
siasticæ esse, sicut & est persona.

3 Sed quid dicendum, si illo tempore, quo habitum dimiserunt, a iudice seculari capiuntur, aut citentur, & post captionem, aut citationem habitum re-assumunt? Respondeo privilegio carere debere: quia illa habitus reassumptio videtur facta in fraudem iurisdictionis secularis: ac proinde non debet prodesse: sic tenet Farinac. d. q. 8. num. 66. & 110. Barbof. l. 2. p. alleg. 12. num. 29. & in remiss. Concilij, decreto 6. sess. 23. de reformatione circa finem. Quia generaliter quotiescunque assumptio clericatus, beneficij, habitus, & consuetudo fit in fraudem iurisdictionis secularis cessat clericale privilegium, quia fraus, & dolus nemini debet Patrocinari. Alias immunitas Ecclesiastica fomentum esset delictorum: sic Gutier. pract. quest. lib. 1. quest. 5. Menoch. de presumpt. lib. 6. quest. 76. num. 35. Iulius Clarus lib. 5. s. fin. quest. 35. num. 43. Farinac. q. 8. n. 66. & 104. Barbof. in remission. Concilij circa finem, decreto 6. sess. 23. Lendo ad decr. collect. 23. n. 1. & alij.

4 Sed inquit in quo hac fraus consistat, & quando presumatur? Respondeo primò cum suar. lib. 4. de immunit. c. 15. num. 17. consistere in eo quòd clericalem habitum, vel ordinem assumas, vt medium tantum ad vitandam iurisdictionem secularem, non ex animo perseuerandi in illa. Quod potest contingere in assumptione minorum ordinum post delictum, vel in assumptione habitus clericalis dimissi: presumitur enim te velle illis ordinibus, & habitu clericali vt non in perpetuum, sed ad tempus, & quatenus necessarium medium fuerit ad vitandam laicalem iurisdictionem, quæ intentio mala est, & fraudulenta, ac proinde digna priuatione clericalis privilegij. Verum si ex intentione declinandi seculare forum ordinem sacrum accipias, quia ab illo recedere non potes, non debet presumi in illa acceptione fraudem interuenire, quia fraus, & dolus non est, si iure proprio vtaris, & assumas medium ab Ecclesia ordinatum ad vitandam secularem iurisdictionem, tamen ex intentione vitandi illam fuerit assumptum: sicuti fraus non est si post delictum commissum ad Ecclesiam confugas. Esset autem fraus si assumeretur ordo non animò perseuerandi in illo, sed relinquendi, cum timor non est iurisdictionis secularis, quod in assumptione ordinis facti presumi non potest.

Respondeo secundo fraudem presumi quoties immediatè post delictum commissum status clericalis assumitur. Tum quia presumitur assumptus tantum ad vitandam iurisdictionem secularem. Tum quia ipsum delictum presumitur commissum esse spe se protegendi privilegio clericali assumendo, ac proinde in fraudem. Ergo talis assumptio status clericalis non prodest delinquenti ad vitandam iurisdictionem secularem. Secundo presumitur fraus, si post diffamationem delicti status clericalis assumatur: quia tunc timore iudicij secularis creditur assumptus, & non ex animo in illo perseuerandi: sic multis relatis Farinac. lib. 1. prax. tit. de inquis. q. 8. num. 66. & 110. Excipe nisi fuerit assumptio ordinis sacri: quia tunc non presumitur fraus ob rationem superius dictam.

Quod si inquit, an hic status clericalis in fraudem assumptus relinquitur Clericum in delictis antea commissis ita subditum iurisdictioni seculari, ac si statim clericalem non assumptisset? Respondeo relinquere æquè subditum quoad iudicium delicti, & punitionem pecuniariam, seu in bonis delinquentis; non tamen quoad iudicium personæ, seu punitionem illius. Quia assumpto statu clericali persona sacra est & Deo destinata. Ergo exempta à punitione corporali secularis iudicis, quia indecens est talis punicio, puniri tamen potest in pecuniis, quæ punio indicat secularem iudicem esse iudicem causæ, non personæ: sic pluribus relatis firmat Farinac. lib. 1. tit. de inquis. q. 8. n. 107.

5 Secundo, dubitatur an clerici immisceant se negotiationi, & mercaturæ, privilegium clericale retineant? Ratio dubitandi est: quia clericis negotiatio est prohibita cap. fin. de vita, & honest. cleric. Item dicitur in opprobrium status clericalis. Ergo non debet frui privilegio illius status, quem offendit cap. quia frustra de v. s. sic Ioann. Andr. Archidiacon. Bosius, Iulius Clarus, & alij quos refert Sanch. tom. 2. de matr. lib. 7. disp. 46. n. 25. Barbof. 2. part. de potest. episc. alleg. 12. n. 30. & est probabilis opinio.

Verius tamen est, Clericos coniugatos privilegio fori gaudere, tamen si immisceant negotiationi; quia ab eorum statu aliena non est decens quadam, & moderata negotiatio, ac proinde si in hac parte excessum non committant, neque per sententiam privilegio fori priuari possunt, & probat textus in cap. Ioannes in fine de clericis coniugatis, & tradunt plures referentes Sanch. lib. 7. de matr. disp. 46. num. 26. Barbof. 2. p. alleg. 12. num. 30. Suar. lib. 4. de immunit. Ecclesiast. cap. 28. num. 9. Couart. cap. 31. num. 8. Ad rationem dubitandi respondeo Clericis non coniugatis negotiationem interdiciam esse de quibus non loquitur textus in cap. fin. de vita, & honest. clericor. solumque ibi dicitur Clericos negotiationi vacantes, vt potest rei illicitæ, debere soluere tributa: quia horum solutionem priuationem non subicit.

Adde alios Clericos non coniugatos privilegio fori non priuari ob negotiationem, nisi per sententiam priuentur; quia

nullibi stat negotiationem ipso iure hanc priuationem incurre, Suar. lib. 4. cap. 8. n. 10.

6 Tertio dubitatur, an Clerici minores, portantes arma priuentur clericali privilegio? Ratio dubij est: quia armorum delatio quibuslibet clericis est prohibita c. clericis de vita, & honest. clericor. efficaciter ne clericus appareat ille qui Clericus est, ob quam rationem Clarus lib. 5. prax. s. fin. q. 36. n. 12. Sanch. lib. 7. de matr. disp. 46. n. 26. in fine & incipit Suar. lib. 4. de immunit. Ecclesiast. cap. 28. num. 5. sententiæ Clericum arma portantem privilegio clericali non gaudere. Distingueendum tamen est, si ob armorum delationem potius secularem habitum, quàm clericalem deferre videaris, amittis privilegium; quia non ponis conditionem ad illud requisitam, scilicet portare habitum clericalem. At si delatio armorum non tollit, quoniam Clericus appareas, ob illorum delationem privilegium non amittis: quia nullibi est cautum privilegium clericale amitti ob armorum delationem. Neque aliud intendit Azor. 1. p. lib. 3. cap. ult. quest. fin. dum dicit armorum delationem non repugnare huic privilegio, si alias clericalis habitus retineatur.

PUNCTVM IV.

Quis sit iudex, cum dubium est, an debeas gaudere fori privilegio?

- 1 Duplex est dubium iuris, & facti.
- 2 Nemo clericus presumitur, nisi probetur, & qualiter probandum est.
- 3 Sufficit vnus testis? Cum distinctione respondetur.
- 4 Forma, & publica quasi possessio clericatus probatur.
- 5 Si talis clericus in habitu clericali capiat, remittendum est iudici Ecclesiastico: sed si in habitu seculari.
- 6 Dum causa clericatus cognoscitur, non potest iudex laicus in causa procedere.
- 7 Iudex Ecclesiasticus cognoscit de clericatu, vt decidat an gaudeat privilegio, quamvis non d. sit Doctores, qui sententiam, cum est controuersia de facto posse iudicem secularem cognoscere.
- 8 In huius cognitionis informatione citari debet iudex secularis.

1 Duplex dubium esse potest. Aliud iuris, aliud facti: Dubium iuris est, quando non est constans in iure an nomine Clerici gaudens privilegio intelligatur. Dubium facti est, quando dubitatur, an tu habeas qualitates requisitas, vt scilicet gratia ordinis, beneficium, habitum, & consuetudinem, &c.

2 Supponendum est neminem Clericum presumi, nisi probetur, quia est qualitas facti: colligitur ex cap. si iudex laicus de sentent. excommunic. in 6. & cap. legem 2. q. 1. Ignat. Lopez pract. cap. 62. num. 20. ad medium, Farinac. innumeros referens lib. 1. prax. q. 8. num. 3. Sed quia ratione hoc probandum sit, vacant Doctores. Primò, certum est probari sufficienter per litteras clericatus, hoc est per illas litteras, quæ vocantur tituli ordinum, quæque solet Episcopus ordinatus conferre in testimonium ordinis recepti. Sic Couart. pract. quest. cap. 33. num. 3. Malcard. concl. 302. & segg. Ignat. Lopez cap. 62. n. 16. & segg. Decian. tract. crim. lib. 4. cap. 9. num. 26. & 112. & 113. Farinac. alius relatis quest. 8. n. 40. Secundo, probatur per litteras commendatitias facientes mentionem de clericatu, & illorum testantes, factis si solum referant esse Clericum. Quia hæc litteræ sunt quæ tituli ordinum, & ex certa scientia ordinis dantur: sic Malcard. Salzedo, Decian. & Farinac. supra. Debent tamen esse hæc litteræ authenticæ, signatæ inquam signo ordinarij consueto, Malcard. concl. 305. num. 2. Farinac. tit. 4. n. 40. Tertio, probatur per testes, maxime si fuerint nulli deperditi, cap. 2. & 3. C. de clericis peregrinis, l. refium. C. de testib. l. si solemnibus. C. de fide instrumentorum: & tradit glossa communiter recepta in c. si iudex laicus de sent. excommunic. in 6. verbo de fecerit, Malcard. de probat. concl. 303. n. 1. & segg. Salzedo c. 62. n. 16. Decian. tract. crim. l. p. lib. 4. cap. 9. num. 14. Farinac. q. 8. n. 41. Couart. cap. 33. n. 3. & alij apud ipsos.

3 Sed dubium est, an vnus testimonium sufficiat? Breuiter respondeo sufficere, si de nullius præiudicio agatur, vt puta cum petitur licentia ad predicandum, faciendum sacrum, & similia. Hæc enim, quia solum penitentem nocere possunt, extraiudicialiter expediuntur: ac proinde vnus testimonium sufficit, & colligitur argumentum à simili ex textu in cap. cum si quis, & in c. paruulus de consecrat. dist. 4. & tradunt plures relatis Malcard. de probat. in concl. 303. num. 4. & segg. Farinac. q. 8. n. 42. & q. 63. n. 26. At si de præiudicio tenij agatur, & consequenter in iudicio, credo nequaquam sufficere dictum vnus testis; colligitur ex c. sua de clericis peregrinis, vbi dicitur clericatum probari per Scripturam, vel per testes. Nota quod non dixit per testes, vt tacite insinuat plures esse requisitos. Et ratio videtur efficax: quia quilibet habet ius, ne sibi damnum inferatur abique manifesta ratione. Ergo si ex tuo clericatu alteri damnum sequitur, admittendum non est, nisi id manifestè constet: vnus autem testis solum rem probabilem, cap.